



(H.)
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SAVERY,

Anglus.

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCLXXXIV.

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF MODERN ART
1900

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF MODERN ART
1900

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF MODERN ART
1900

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF MODERN ART
1900

VIRO SPECTATISSIMO

JOANNI LIZARS, ARMIGERO,

ANATOMIÆ PRÆLECTORI,

SOC. REG. EDIN. SOCIO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.

PUBLICA EJUS GRAVIA OFFICIA

MAGNO CUM INGENIO CURA PERITIAQUE

EXPLENTI,

ANATOMIÆ ARTEM

INDEFESSA CUM INDUSTRIA LAUDEQUE SUMMA

ILLUSTRANTI,

IN STUDIIS MEIS MEDICIS GUBERNATORI DOCTO ET COMI,

BENEVOLENTIA, HUMANITATE,

MORIBUS BENIGNIS CANDIDISQUE PRÆDITO,

TENTAMEN HOC INAUGURALE,

AMICITIÆ NUNQUAM PERITURÆ TESTIMONIUM,

GRATO ANIMO SUMMAQUE OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

WILLIAM C. BROWN

1850

ERRATA

1850

The first error in the book is on page 10 where the word "and" is printed instead of "or". This error has been corrected in the second edition.

The second error is on page 15 where the word "the" is printed instead of "a". This error has also been corrected in the second edition.

By J. Woodford Cross with
the Author's compliments.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

FEBRE.

Auctore JOANNE SAVERY.

PROPOSITUM est mihi, in hoc tentamine, de Febre, præsertim autem de Synocho, simplici, continua febre, et de medendi ratione, tractare.

In hoc morbo, omnes corporis actiones vel plus vel minus perturbantur; ab horrore, lassitudine, imbecillitate, languore, et desidia incipit; arida deinde, calidaque, vel citius vel tardius, fit cutis, et frigidi sensus internus succedit. Dorsum, ca-

put, et articuli doloribus vagis afficiuntur. Sitis continua, pulsus parvus, et celer, sed sæpe irregularis fit. Lingua fœda est, os torretur et aret. Gustus vitiatur; alvus fere semper adstringitur. Urina rubicundior est, et minor quam debet esse. Tendines corporum aliquando indurescunt, et contrahuntur. Stadium, ut dicitur, frigidum, aliquando vero caloris rubore alternante, his signis indicatur. Calor deinde exurens per totum corpus ingravescit, et æger aucto dolore præsertim capitis, inquietudine, nausea, cibi fastidio, afficitur. Pulsus celerior, lingua fœdior, alvus adstrictior, et urina rubicundior fit.

Stadium calidum notis quæ sequuntur dignosci potest. Sanguis, signis prædictis auctis, ad caput propellitur, deliriumque sequitur, et si omnia indicia graviora fiunt febricitantem mors interimit. Sæpe vero pulsus minore et celeriore, cute glutinosa, lingua magis fœtida, viribusque animi et corporis admodum fractis, ægrum cito moriturum ostenditur. Stadii hujus spatium fere semper mu-

tatur; sæpe vero ex septimo ad vicesimum primum, aliquando autem ad vicesimum octavum diem perdurat. Signa paulatim decrescentia, pulsus mollis, cutis humida, et, ut solet, sitis diminuta, cibi desiderium rediens, viresque gradatim auctæ, morbum benè terminaturum indicant.

Stadium sudatorium discernitur si cutis ex sicca humida fit. Synochus ex frigidi calidique stadii unitate conflatur. Febris autem, qui Typhus vulgo appellatur, ex notis mortiferis dignoscitur. Omnes febres his signis deprehendi possunt, quoniam cæteræ sunt solum varietates synochi: constat igitur eas, quæ diversæ putantur, ad unum exemplar relegari posse.

Typhus gravior, vel Febris flava, synochi tantum est species aggravata. Frigidum stadium cito transit, calidum violens est. Ægri autem admodum delirantis cutis quoque cito flava fit. Febris hæc ex flavo cutis colore, qui sæpe abest, solum distingui potest; et, ut CULLENI verbis utar,

“ It is certainly improper to give different names to diseases which differ only in degree.”

Typhi mitioris accessus sæpe latet, et febricitans, per dies nonnullos, morbo ita levi implicatur, ut minime in lecto collocandus sit. Frigidi sensus, horrore nullo percepto, ægrum afficit. Facies, sine aucto colore ruboreve, pallida collapsaque est. Hoc signum comitantur lassitudo, debilitas, anxietas, vires mentis fractæ, et nausea, quæ vespere sæpe augentur.

Hæc per aliquot dies manent ; deinde dyspnœa, et gravis capitis coma, sequuntur ; vires corporis magis fractæ sunt ; lingua dentesque fœtidi et nigri coloris fiunt ; gustus vitiatur ; urina colorem seri lactis induit ; alvus contrahitur, pulsus parvus, debilis, celer est, aliquando vero se intermittit. Nervi jam magis afficiuntur ; crura, manus, et muscoli voluntarii tremunt ; totum corpus glutinoso sudore humectatur, oculorum pupillæ dilatantur, membrorum subitæ contractiones fiunt, et

e stragulis fimbrias æger carpit : hæc indicia semel unoquoque die leniuntur. Hoc in morbo signa vel augentur, donec æger moritur, vel, febre gradatim decedente, somni tranquillioris desiderium majus redit, et pulsus, calor, variæque corporis actiones in pristinum suum statum restituntur. Hæc Febris carceraria, quia apud carceres frequens est, appellatur.

In omnibus febribus a me observatis tempus breve inflammationis sese ostendit, quod in Typho mitiori a plurimis scriptoribus synochi stadium postremum dicitur, et, hanc ob causam, eodem nomine, quo synochus, appellari debet ; quoniam eadem medendi ratio, paululum mutata, utrisque in morbis utitur. Febris remissio semel unaquoque die in febribus remittentibus ita evenit, ut ægrum haud omnino febris relinquat.

Lassitudo, languor, caloris frigidique impetus alternantes, febricitantem ante accessum afficiunt. Caput, lumbi, articuli que doloribus acutis,

febre confirmata, affliguntur, et, calore maximo per totum corpus permeante, lingua fit alba, sitis haud modica, pulsus parvus et debilis, spiritus gravis, stomachus autem ab inflammationis sensu laborat, nausea, frequensque bilis vomitus occurrit; febris corpus sudoris temperati usu partim deserit, et, paucas post horas, eandem formam assumit. E caelo, et febricitantium corporum statu remittentes febres graves et leves saepe oriuntur. Haec morbi synochi species est, quoniam saepe diversae in ea febre remissiones occurrunt, et nonnulli auctores, remissionem plus minusve manifestam esse affirmant. Intermittentes a remittentibus distinguuntur majore inter accessiones spatio, quando febricitans omnino valet. Dr CULLEN de his duabus febribus in eadem sectione tractat, et a Doctore YOUNG, Febres Paludum appellantur: de his ergo nihil dicendum est.

Synocha pleno, valido, duro pulsu, calore aucto, omnibus secretionibus diminutis, et mente

perturbata, dignoscitur. Incipit lassitudine, infirmitate, desidia, cibi fastidio; per duos dies corpus totum inhorrescit, et dolore ex tactu vel motu afficitur; æger acutioribus quoque capitis, dorsi articulorumque doloribus, cum nausea et aucto calore, vexatur; sudor levis per noctem succedit. Alvus adstringitur, urina rubicunda, pulsus semper durus, et celer in gravi seu levi forma est; hæc varietas vel sudore critico, vel alicujus membri, ut capitis, pulmonis inflammatione, vel Typho decedit. Hoc sæpe evenit, et morbus ex utroque conflatus Synochus appellatur. Morbo huic nullum nomen dari potest, donec ad finem perducatur; si sudore, vel signis gradatim decreascentibus, terminatur, Synocha nominatur. Si Typhus fit, Synochus vocatur, et a VOGEL ita appellatur quocunque modo finitur.

Alia quoque est varietas ephemera, de cujus levi specie nihil dicendum est. Gravis tamen hujus varietatis species horrore vehementi dignoscitur; calor violens huic succedit; pulsus initio

parvus contractusque, deinde plenus et firmus. Hic morbus initio synochæ similis est, et post viginti et quatuor horas decedit; si vero hoc non evenit, Synocha fit, quæ Typhus fieri potest, et ex his febribus conjunctis Synochus formatur, qui in remittentem vel intermittentem febrem procedit. Sæpe vero omnis febrium varietas, vel in urbe, vel in ruri, vel in pago, ab eodem initio incipit, ut apud Antigua, A. D. 1816, ubi flava febris facta est remittens, intermittens, et continua, et inter se hæ febres mutatae sunt.

Synochus, frequens hujus gentis febris, cum medendi ratione jam a me considerandus est. Incipit, ut dixi, a languore, infirmitate, devitato cum mentis tum corporis labore, oscitationeque frequenti; algoris sensus primo in spinam descendit, dein per totum corpus permeat, et malo ingravescente, horrores, plus minusve vehementes, secundum febris vim, fiunt. Deinde æger invicem rubore incandescit, et alget. Caput, lumbos, membraque dolores leves afficiunt; et totum corpus

dolore ex tactu vel motu afficitur. Calor diffunditur; arteriæ admodum perturbantur; et dolor capitis, dorsi, articularumque augetur. Calor major fit. Secernenda omnia minuuntur. Palpitatio in temporum arteriis, aurium tinnitus cum delirio, quod raro hoc in stadio evenit, ægrotum aliquando afficiunt. Hæc febris varietas, vespere appropinquante, ingravescit. Stadio autem per plures dies manente, remissionibusque se manifeste ostendentibus, pulsus fit infirmus, languidus, facileque compressus. Præcordia sæpe opprimuntur; æger vel a nausea, vel vomitu laborat; vel dolore exurente stomachus affligitur. Vertigo, caligo, membrorumque stupor accedunt. Musculi voluntati obtemperare recusant; lingua vix nec sine tremore ostenditur, et rugis excavatis, per hoc morbi tempus, sulcatur. Membrorum extremæ partes tremunt, et febricitans sese minime movere potest. Cutis glutinosa, et humida fit; calor modo infra solitum gradum subsidet. Capitis dolor, vertigo cum infirmitate urget usque ad delirium, quod diu manens, denuo revertitur ingravescitque,

et stupori magis quam maniaë simile fit. Vultus anxius est, oculi interdum sed raro inflammantur. Sensus quoque in hoc morbo sæpe vitiati sunt.

Si pulsus infirmus et inordinatus fit, et membra frigida, pallida subito contrahuntur; si animi defectio ex minimo labore oritur, facies collapsa est, et singultus fit, respiratioque cita; si spiritu gravi laborat, et e stragulis fimbrias, visu pravato, diducit; si sanguis quoque fluit, præsertim ex renibus, oculis, et cute; si profluvium, morbo diu manente, succedit, et urina pallida, limpida, colorisque fuscæ crassamen kuphæ simile deponit, mors semper ferme metuenda est. Si vero ab initio morbi æger profluvium, vel sanguinis fluxum, e naribus sustinere potest; si surditas fit, urina quoque turbida, vultus melior est, cibique desiderium augetur; si pulsus mollis, et, ut solet, celer, validusque est; si lingua se abstergit, humidum mite et radicale est; si cutis mollis, secernenda et excernenda omnia ad suum pristinum statum redeunt, morbum sine periculo decessurum constat.

Causæ febris, ut optimis scriptoribus visum est, sunt vel frigidum corpori applicatum, vel virus palustre, vel nimia corporis fatigatio, vel venerearum voluptatum indulgentia : nimia quoque potatio, literarum studia haud intermissa, animi motus immodici, ut timor, anxietas, sæpe hunc morbum efficiunt. Haud patet hoc malum ex una causa sed ex duabus vel pluribus oriri. Corpus sanum frigori resistere potest ; labore vero, aut ulla alia causa fatigati debilitatique corporis omnes actiones frigore perturbantur. Totum corpus ex animi motibus, et cœlo insalubri irritatur, minimisque mutationibus obnoxium fit ; et, hanc ob causam, frigidum corpori adhibitum, ut CULLEN putat, infirmitatem auget, qua sensorium commune afficitur. Huic imbecillitati extremarum arteriarum distentionem attribuit, exinde frigus et pallor, sanguine in cor rejecto, oriuntur. Ex corde et arteriis quoque inter se mutuo agentibus oritur labor magnus, a quo per stadium æger afficitur, et manet donec nervorum amovetur distentio, et morbus modo copiosa perspiratione post

paucas horas ad finem perducitur, modo autem per plures dies vel hebdomadas manet, et eo confestim amoto, æger ita infirmus est, ut, vel eodem, vel alio morbo implicatur.

Alia quoque causa febris Contagium esse dicitur; de quo plurima utrinque scripta sunt, et adhuc sub iudice lis est. Perpauca tantum exempla febris, quæ huic causæ attribui potuerunt, vidi; et ea, quæ condiscipuli mei ex contagio oriri putaverunt, ab anxietate, vigilia, corporis fatigatione, cœlo insalubri frigidoque, incipere mihi visa sunt. Hæ causæ morbum certe efficere potuerunt, et, ubi causa evidens reddi potest, minime necesse est ut juvenis, medicinæ arti incumbens, eas inveniatur, quæ, explicatu difficiliores sunt, et de quibus haud inter omnes constat.

In febribus medendis, ægri vires, morbi tempus, signaque consideranda sunt, ut æger cum minimo periculo valetudini pristinæ restituatur. Medicus raro ante secundum vel tertium morbi diem

ægrum visitat, quando tempus caloris vel inflammationis incipit; quod arida, calida cute, carpi pleno, duro, et aliquando infirmo, temporum vero pleno, et salienti pulsu, violentique corporis dolore, indicatur. Tempus ad discutiendam febrem fere jam præteriit, et optimis remediis calor, articularumque actiones, moderandæ sunt. Hoc facillime sanguinis detractio fieri potest, quæ tuto adhibeatur, si hæc signa sese ostendunt, quia irritatione febricitans infirmior quam sanguine misso fit. Quæ copia sanguinis detrahenda sit ex signis ostenditur. Optima lex, si ulla dari potest, de sanguine detrahendo, ut mihi videtur, est sanguinem mittere, donec capitis dolor vel omnino cessat, vel admodum minuitur; hoc vero raro sine unciarum triginta detractio efficitur; semel autem quinquaginta ex brachio adolescentulæ robustæ erysipelate et febre affectæ misi, priusquam dolor diminutus erat, vel animi defectio successit. Dolore vero per noctem redeunte, triginta uncia sanguinis rursus detractæ erant, et postea ægra melior fuit. In febribus sanguinis detractio uten-

da est, et ex magno ore venæ in brachio pleno rivo detrahendus, quia arteriarum actio multo certius, sanguine cito quam tarde detracto, minuitur; arteriæ enim, sanguine lente misso, sese contrahunt, et sanguini qui restat aptant: si vero sanguis cito fluit, arteriæ haud sese contrahere possunt; cerebrum, arteriis vacuis, solitum suum pressum amittit, animi defectio sequitur, et actio redintegratur. Si vero ullum corporis membrum dolore afficiatur, æger tanto citius salutem restitui potest, quanto propius membro dolenti sanguis mittitur. Febricitans salutem citius recuperat, capite male se habente, arteria temporali incisa, quia parti morbidæ propior est, et sanguis ex arteria solitæ magnitudinis fluit. Si vero hoc haud facile fieri potest, hirudines adhibendæ sunt; quod peritonæo vel alii corporis parti affectæ, ubi arteria vel vena haud uti potest, faciendum est. Sanguis quoque ex toto corpore detrahendus est.

Purgantia quoque, alvum movendo, ea quæ cor-

pus excitant tollunt, et fæces, quibus functiones ita impediuntur ut nulla eas restituere curatio possit, dejiciuntur. Mucosa quoque intestinorum secretio augetur, et arteriarum actio minuitur. Hunc ad finem cujusvis ex salibus mediis dilutis solutio, vel pulvis jalapæ compositus, febris initio utiles sunt; sed per tempora morbi postrema, alvo magis adstricta, submurias hydrargyri, cum jalapa, vel rheo, et alia medicamenta, quæ vehementer purgant, usurpanda sunt. Clyster quoque domesticus, quo alvus solvitur et fomenta adhibentur, utiliter dari potest. Haustus quoque effervescentes admodum utiles in febribus sunt, corpus enim refrigerant, sitim extinguunt, et nauseam urgentem levant. Lenis quoque alvi, sale medio in ventriculo formato, purgatio fit.

Balneum initio horrorem febris sæpe omnino minuit; semper autem ægri dolorem, cutem mollita, sudoreque copioso fluente, levat, et per cuncta morbi tempora, haud negligi debet. Pro balneo necesse est vel calida aqua fovere, vel vaporis

uti balneo, quod, halitu aquæ ebullientis a stragulo, ne effugeret, detento, et sub sella qua febricitans decumbit recepto, ubivis apparari potest. Nunquam mihi evenit in febribus frigidam aquam adhibere, quæ, quoniam excitat, haud semper tuta est. Balneum vero, ut mihi videtur, semper utilius, quia non, ut frigida aqua, reciproce agit.

Per totum morbi decursum, æger victu leni, et, initio febris minime nutriente sustinendus est. Aqua hordeacea, panis tostus et aqua, potiove ulla simplex, inflammatione urgente, optima erit. Cibum firmum raro æger appetit, et sitis ejus vehemens potione copiosa depellenda est. Tempore caloris finito, cibus nutriens gradatim dandus est; valde enim cavendum est, ne morbus, cibo, qui excitat, citissime dato, recidivus fiat. Jus primo pullinum vitulinumve, deinde jusculum bovillum, pullus elixus, cibusve quispiam levis, sine vino cervisiave, dandus est donec æger convalescens sese erigere potest. Per totam febrem æger, quan-

tum fieri potest, frigesceret; cubile altum amplumque esse debet, quo fenestris apertis aërem purum sed non rapidum trahere possit. Vestimenta lectique stragula semper mutanda, et omnes fæces noxiæ e cubiculo amovendæ sunt. Si febris æstatis tempore ægrum afficit, aceti per cubile aspersio jucundissima erit.

Vesicatoria commodissime post caloris tempus adhiberi possunt, præsertim si vel stupor vel capitis levis dolor, vel ullius intestinorum diuturnus cruciatus, permaneat. Dr LIND putat hæc utilia esse, si caloris tempore adhibeantur; aliis vero videtur nunquam prædesse, sed, irritationem ægri augendo, sæpe plurimum lædere. Tussis violenta, affectus animi tristes, corpus iis quæ excitant læsum, et vigilia ex febribus orta, potionibus soporiferis mederi possunt. Sulphuricum dilutumque acidum sudoribus nocturnis medetur; et magna infirmitas tranquillitate, aere puro, leni et nutrienti cibo, curanda est.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA

MICROMETER

HYDROTHERAPE

